

---

WILLIELMVS BAXTER  
ΤΩΙ ΚΥΡΙΩΙ ΙΗΣΟΥ ΒΑΡΝΕΣΙΩΙ  
ΥΓΙΑΙΝΕΙΝ

**N**osti, puto, illud Heracliti dictum, ἡ πολυμαθία εἰ  
τίκτει νόον. Laudas tu quidem, atque plus semel lau-  
das, simplices, atque aureos, veterum mores, can-  
didaque ingenia: quin et odisti *homines ignava opera,*  
*et philosopha sententia:* me tamen, horum omnium  
oblitus, nunquam, quod sciam, laceffitus, neque  
laudis aemulatorem expertus, indigne habes, laceras,  
derides; imo rictu plane Cynico oblatras immerenti.  
Quid? si lauti homines, sacerdotiorumque patroni,  
officii sui immemores, nulla tui habita ratione, ho-  
nores tibi inuideant, imo antehabeant tuis meritis  
vel proprios filiolos, et nepotes; vel forsan etiam,  
quod tu quereris, calumniatores, nundinatores, et  
parasitos? Estne, quod ob eam rem succenseas ami-  
cis, et in obuium quemque bilem tuam euomas? Est-  
ne, quod Academicos etiam tuos arguas inscitiae, at-  
que impudentiae, quorum nonnullos tu dicis brutis  
esse pectoribus, asininis auribus, Theoninis dentibus,  
atheneis frontibus, plumbeis cerebris, venenatis lin-  
guis, et margiticis plane ingeniis? Dii boni! quae  
monstra! Verum quaerat aliquis, quid a me commis-  
sum? Dicam, quod res est. Anacreontem, scripto-  
rem